Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

decipit: si qs extollit: si qs in faciem uos cedit: secundum ignobilitatem dico· quasi nos infirmi fuerimus in hac parte· In quo quis audet: in insipientia dico audeo et ego· Hebreis sunt· Et ego· Israhelite sunt· Et ego· Semen abrahe sunt· Et ego· Ministri xpi sunt· Et ego· Vt minus sapiens dico· plus ego: in laboribus plurimis: in carceribus habundantius: in plagis super modum: in mortibus frequenter· Iudeis quinquies quadragenas una minus accepi· Ter virgis cesus sum: semel lapidatus sum: ter naufragium feci· Nocte et die in profundo maris fui: itineribus sepe periculis fluminum: periculis latronum: periculis ex genere: periculis ex gentibus: periculis in ciuitate: periculis in solitudine: periculis in mari: periculis in falsis fratribus: in laboribus et erumpna: in uigiliis multis: in fame et sitis: in ieiunis multis: in frigore et nuditate· Preter illa que extrinsecus sunt: instancia mea cotidiana· sollicitudo omnium ecclesiarum· Quis infirmatur et ego non infirmor· Quis scandalizatur· et ego non uror· Si gloriari oportet: que infirmitatis mee sunt gloriabor· Deus et pater domini nostri ihu xpi scit· qui est benedictus in secula: quod non mentior·

Damasci prepositus gentis arethe regis custodiebat ciuitatem damascenorum: ut me comprehenderet· Et per fenestram in sporta demissus sum per murum: et sic effugi manus eius· Si gloriari oportet: non expedit quidem· Veniam ad uisiones et reuelationes domini· Scio hominem in xpo ante annos quatuordecim siue in corpore siue extra corpus nescio deus scit· raptum huiusmodi usque ad tertium celum: et scio huiusmodi hominem siue in corpore siue extra corpus nescio deus scit: quoniam raptus est in paradysum· et audiuit archana uerba que non licet homini loqui· Pro huiusmodi gloriabor: pro me autem nichil gloriabor nisi in infirmitatibus meis· Etenim si uoluero gloriari non ero insipiens· Veritatem enim dicam·

Parco autem: ne quis me existimet super id quod uidet in me· aut audit aliquid ex me· Et ne magnitudo reuelationum extollat me: datus est mihi stimulus carnis mee angelus sathane